

et cum hic de iurisconsultorum more quaeratur, Servii (Sulpicii), Sexti (Pomponii, cf. Zimmern, Hist. iur. § 92 not. 6) et ipsius Gai (Cassii Longini, cf. Zimmern l. c. § 85 not. 25) ostendunt. Deinde quod Gai responsa non exstant, ipse confitetur Mommsenus etiam Romae potuisse Ictum, qui respondendo operam non daret, scriptis inclurare. At Gaius edictum provinciale commentatus est, quod Mommsenus negat nisi de certae, itaque eius, quam inhabitabat, provinciae edicto intellegi posse, eamque Asiam fuisse autumat, cum Gaius Bithynorum et Galatarum peregrinum ius (Inst. 1, 55; 193) et Troadis, Beryti et Dyrrhachii ius Italicum (L. 7 D. de cens. 50, 15) commemoraverit. Sed si, ut existimat, multum etiam tunc singularum provinciarum differebant edicta et suae provinciae edictum Gaius commentatus est, non 'ad edictum provinciale', opinor, sed 'ad edictum Asiaticum' (ut est ubique in Ciceronis Verrinis, 'edictum Siciliense') vel certe 'ad edictum proconsulis provinciae Asiae' librum suum inscribere debuit; nam provinciale edictum simpliciter dictum ex analogia, qua provinciale solum, provincialis senator, provincialis iudex, alia dicuntur, edictum in quacunque provincia propositum, quatenus scilicet ea omnia consentiebant, significat. Et serione quisquam statuerit tunc Ictum aliquem in animum induxisse, ut unius inter tot provincias edictum triginta libris explicaret? Itaque ex hac ipsa appellatione recte colligitur, quod et totius illius temporis ratio facit ut credamus¹, provinciarum diversarum edicta, si rem, non formam spectas, tunc in unum conflata esse, quod ab omnibus proconsulibus partim per se partim, ut in Caesaris provinciis, per legatos proponeretur², quamobrem Gaium in his libris ubique pro-

1) Cf. E. Huschke, Census z. Z. d. Geb. J. Chr. p. 22.

2) Animadvertendum est hanc edicendi potestatem, qua ius civile supplebatur vel corrigebatur, tantum magistratus populi Romani habuisse (Gai. 1, 6); proinde etiam Caesarem proconsulem in suis provinciis neque vero legatos Caesaris, quibus iurisdictio tantum praetoria delegata erat.